

B.N. II 150.

X 187 6090

4.39,5. DISCURSUS INAUGURALIS

**AN ET QVATENUS
PRINCIPES, COMITES, BA-
RONES ET ALII S. ROM. IMPERII STA-
TUS IN DITIONIBUS SUIS STATUTA
CONDERE POSSINT,**

Quem.

Divina favente Gratia

Ex Decreto

MAGNIFICI JICTORVM ORDINIS

In florentissima Academia Jenensi

Sub Præsidio

**VIRI PRÆNOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSUL-
TISSIMI ET EXCELLENTISSIMI**

DN. JOH. VOLK-Bechmann/
JCTI ET ANTECESSORIS FAMIGERATISSIMI,
CONSILIARII SAXONICI, CURIÆ PROVINCIALIS, FA-
CULTATIS JURIDICÆ ET SCABINATUS ASSES-
SORIS GRAVISSIMI,

**DN. PATRONI ET DOCTORIS SUI OMNI OBSERVANTIA
ÆTATEM PROSEQUENDI,**

PRO LICENTIA

Summos in Utroq; Jure honores & privilegia Doctoralia
ritè capessendi

Ad diem Junii M DC LXVI.

Horis pro. 5 pomeridianis


In Auditorio Juridico publicæ οὐζηνίας
subjicit


GEORGIUS Kahle/ Muscaviâ Lusatus.

JENÆ, Literis NISIANIS.

An et quatenus Principes, Comites, Barones et alii Imperiis ta-
bus in ditionibus suis statuta condere possint Vol. 281. 87.







PRÆILLUSTRIS AC GENEROSISSIMO DOMINO
DOMINO

CUNRADO REINECCIO
LIBERO BARONI A Gallenberg/
DYNASTIÆ MUSCAVIENSIS, UT ET WET-
TESINGII ET WESTHEMII &c. DOMI-
NO HÆREDITARIO,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
ELECTORIS SAXONIÆ
SUPREMO MARESCHALLO AULICO,
UT ET CONSILIARIO INTIMO, SUPERIORIS
LUSATIÆ PROMARCHIONI PLENIPOTENTIARIO,
NEC NON CAMERARIO, ET PRÆFE-
CTO MILITUM SUPRE-
MO

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

Salutem & Felicitatem perennem!


Uandoquidem omnis, qui beneficio aliquo affici-
tur, ipsa dictante recta ratione vulgatum illud ve-
riblem : Beneficium datur propter officium :
probe perpendere debeat, quanto quæso magis
Præillustris - Generosissime Baro, Domine Cle-
mentissime, mihi hoc incumbet, in quem à Sublimi Tua Gratia
præter omne meritum tanta sunt collata beneficia, ut nisi Te
post Deum Ter Opt. Max. pro unica salutis meæ Causa grata-
mente agnoscerem, non immerito ab universo humano genere

A 2

nequis-

nequissimus omnium, qui unquam fuerunt, & vel stigmate ad exemplum Macedonici illius militis dignus judicarer? Sed ut maxime jam eo nomine sim solitus, adeo tamen nullam animadverto me expediendi rationem, ut potius, quicquid etiam officii, ut sic loqui liceat, præstare annitar, nihil tamen ubique acturus sim, quod obligationem meam ulla ex parte minuat. Sive enim me ad nutum Præillustris Tuæ Generositatis die noctuque promptum extitum esse dixerim; Nihil sane hic præstabitur singulare, cum jam tum ad hoc, ut ad multa alia obstristus sim, quæ subditus: Sive me in expediundis functionibus industrium & fidelem fore promiserim, itidem aliud non præstabitur, quam quod alii præstant boni ministri vel modico ære conducti. Quid ergo? Annon etiam aliud dabitur officii genus, quod quadantenus ad debiti exolutionem faciat? Nullum profecto: Aliud quippe exposcit fastigium dantis datorumque magnitudo, & aliud pollicetur exigua accipientis conditio. Quæcum ita se habeant, Clementissime Baro, illud saltem unicum à Præillustri Tua Generositate supplici prece rogo: ut, cum tantum præstitero, quantum potero, cetera, quæ debeo, Clementiæ Tuæ Favonio benigne subleventur. Quod & præsentis exoptat rudis Minerva pagellæ, vel ideo non alii, quam Tuæ Sublimitati devotæ, quod, ut dixi, alia non extet illius causa. Quod super est, Deus Te Justitiæ, Pietatis & Literarum Tantum Assertorem & Vindicem unà cum Universa Tua, Præillustri Familia ita beare velit, ut rerum Tuarum Maximorum tam pacis quam belli temporibus gestarum (inter quas non minimæ sunt tot ac tanta illa misericordia præsertim scholaribus exhibita beneficia) Gloriosa recordatio æternum vivat, floreat & perennet! Et ita precatur.

Perillustris Tuæ Generositatis

Devotissimus & Obsequen-
tissimus

GEORG. RÄHSE.

ad
it
n.
et-
bi-
nu-
die
ræ-
tri-
in-
sta-
re
ge-
um
que
io.
ni-
,eo,
ræ-
n,
ius
ra-
ia,
na-
on
ex-
t &
E.

THES. I.

Vulgata est & tam in foro quam in scholis tri-
ta Dd. Theorica : Tantum posse quemli-
bet Imperii Principem, Comitem, Baro-
nem & alium jura territorialia habentem
in suo, quantum potest Imperator in U-
niverso : Vel, ut vernaculâ nostra vulgò
efferri consuevit : **Ein ieder Fürst ist Kan-**
ser in seinem Lande.

Exq. I.



Ta namq; tradit de Electoribus Bern-
hard. Græv. in proæm. pract. concl. n. 24.
de Principibus & Civitatibus Liberis
Germaniæ in genere Gail. I. de P.P. 6.n.
10. & 11. Bocer. de Collect. c. 4. num. 5.
Meichsner. tom. 2. lib. 1. decis. 8. num. 21.
Zaf. lib. 2. conf. 15. n. 49. cum seqq. & conf.
48. ubi de Archiducibus Austricæ in specie hoc affirmat,
Farinac. de crim. l&f. Maj. q. 112. num. 184. Modest. Pistor.
vol. 1. conf. 24. n. 1. Köppen. decis. 20. n. 4. Lather. Husan.
de cens. lib. 1. c. 3. n. 6. & novissime Magnificus Dn. Chri-
stoph. Philipp. Richter / JCtus & p.t. Academiæ Rector,
Patronus & Antecessor meus summo observantiæ cultu
æternum prosequendus in part. 1. Decis. 4. n. 16. ubi ait,

A 3 quod

quod sicuti Imperatori in toto Orbe omnimoda competit Jurisdictio, ita etiam Principibus Superioritas territorialis in suis provinciis & districtibus, in quibus Imperatorem representare dicuntur: De Duce Mediolani Paul. Castrens. *conf. 228.* ubi de eo asserit, quod ex eo solo, quod ipsi sit concessus Ducatus Mediolani cum aliis terris, factus sit in illis locis Princeps perpetuus, & non temporalis, & quod censeatur in illum per consequentiam translata omnis potestas Imperialis, in terris illis, ut ea uti possit vice Imperii, cum Imperator ibi nullam Jurisdictionem exerceat, per alium, quam per illum: De Duce Sabaudiae Cacheran. *decis. 30. n. 4.* De Duce Mantuae Socin. *Sen. lib. 3. conf. 66. col. 6.* De Marchione Montisferrati Menoch. *conf. 1. n. 159.* Et de aliis alii à Theod. Reinking. *de Reg. sec. & Eccl. lib. 1. class. 5. cap. 6. n. 2. & seqq. citati.*

Exq. 2. Ratio perspicua videtur esse hæc: quod eiusmodi Princeps, Comes & aliis Imperii Status territorialium suum accipiat in feudum cum eodem jure, quo Imp. & Imperium tenuit, Dauth. *de testam. rubr. de mutant. testam. potestat. n. 86.*

TH. II.

Quare & statuta seu leges Provinciales Eosdem in territoriis suis liberè condere posse, rectè inde infertur.

E

Xq. I.

TAli arg. Quicquid potest Imperator in universo Imperio, illud possunt Principes Imperii in suo territorio: Atqui Imperator potest (scil. cum consensu Statuum Imperij, ut ex hac in omnibus fere Recessibus usitata for-

ta formula appareat: Wir Thurfürsten &c. thuen fund &c.
daß die obgeschriebene Puncten mit unserm guten Rath/
guten Wissen und Willen durch Kayserl. Majestät ges-
ordnet gescheet &c.) condere leges in universo Imperio h.
e. per universum Imperium valentes: Ergo & Principes
Imperio in suo territorio h.e. per suum territorium va-
lentes.

Ex. 2. Nec impedit, quod potestas condendæ,
interpretandæ, & abrogandæ legis sit jus omnium juri-
um Majestatis summum, Bodin. *I. de Republ. c. ult. n. 155.*
adeoque non competit Principibus & aliis Statibus Im-
perii, utpote Majestate destitutis: Nam licet non com-
petat Principibus Imperii jure Majestatis, ut Imperatori
& Statibus Imperii conjunctim sumtis, competit ta-
men jure Superioritatis territorialis ita, ut sicut Impe-
rator una cum Statibus Imperii condit leges universales
h.e. per universum Imperium, ut una aliqua civitas con-
sideratum valentes jure Majestatis & absolutæ potesta-
tis: Aus Römischer Kayserlicher Macht und Volkoma-
nenheit: ita Principes & alii Status Imperii condit le-
ges particulares vel Provinciales h.e. per suum saltem
territorium ut particularis aliqua civitas consideratum
valentes jure Superioritatis territorialis, ceu Quasi-Ma-
jestatis: Aus Landesfürstlicher hoher Obrigkeit: Vel, si
Civitas fuerit Imperialis, aus Landes- hoher Obrigkeit/
Landes Ober- und Herrlichkeit: conf. Magnificus &
Consultissimus Dn. Georg. Adam. Struvius p. t. Magni-
fici JCtorum ordinis Decanus, Patronus & Antecessor
meus sanctè colendus in Syntagm. Jurispr. Exerc. 4. tb.
78. & in Syntagm. Feud. Cap. VI. aph. 15. in Ex. & Theo-
dor. Reinking. d.c. 6. n. 180.

TH. III.

TH. III.

Idque adeo verum est, ut ad hoc nec Imperatoris confirmatione, nec consensu Ordinum suorum Provincialium, nec fori approbatione indigeant, licet fuerint fœminæ.

Ex. I.

Quod Imperatoris confirmatio non sit necessaria, facit, quod jam tum illa in ipsa investitura tacite intervenierit: siquidem eo ipso, quo Imperator per investituram, Fürstenthum/ Graffschafften/ Herrschafften/ Schlosser/ Städte/ Dörffer/ Lande/ Leute/ Mannschafften/ Lehnschafften/ geist- und weltliche oberst- und niederrste Gerichte/ Regalien/ Zölle/ Geleite/ Münze/ Berckwercke/ Wildbahn/ Fischereyen/ Renthen/ Gefälle/ Nutzungen/ mit allen und ieglichen Obrigkeiteten/ Ehren/ Würden/ Freyheiten/ Herrlichkeiten und allen Zugehörungen Principibus concessit, vid. Illustris ac Generos. Dn. Ludovicus von Seckendorff in Teutschen Fürsten, Stat part. 2. cap. 1. n. 4. hanc quoque potestatem concessisse censendus est, cum concessio necessario præsupponat consensum. Quanquam hoc limitet cum Filiuo Joh. Hermann. Stamnius de servit. pers. lib. 3. cap. 8. n. 6. circa fin. eo casu, quo Princeps aut alias Imperii Status à statuto antea ab Imp. cum clausula Decreti annulativa, veluti si secus actum fuerit, id irritum & inane existat, confirmato vult recedere, per text. inc. dilect. 25. x. de præbend. fere in fin.

Ex. 2. Ordinum vero Provincialium consensum non requiri arguit l. 3. C. de ll. ibi: sive eas nobis spontaneus

ILLIHT

neus motus ingesserit : Cum qua concordat c. si quis z. x.
de major. & obed. ibi : qui non obedierit Principi morte
moriatur : Et docet Lagus in method. jur. Civ. part. 4.c.4.
n. 11. & Joh. Corasius de juris arte, part. 2.c.16.in pr. quos
citat & sequitur Bocer. Class. i. Disp. 3. th. 42. Id quod ta-
men cum citato Dn. Joh. Herm. Stamm. d. loc. n. 5. solum
quoad legis constituendæ potestatem intellectum ve-
lim, non etiam quoad ejusdem constituendæ & conci-
piendæ modum : Nam quoad hunc videtur ex recepta
Germaniæ consuetudine opus omnino esse, daß die
Lands-Stände/ quorum variam conditionem exponit
Prælaudatissimus Dn. Vitus Ludov. von Seckendorff d. er.
part. 1. cap. 4. n. 2. & 3. oder der gemeine Ausschöß von
der Landschafft/ de quo Idem d. tr. p. 2. c. 4. n. 15. darzu
beschrieben werde & consilium eorum adhibetur, Idem
ibid. n. 8. & Renneman. in prolegom. de princip. jur. Disp.
12. th. 21. lit. b.

Exq. 3. Quod fori approbatio ad ejusmodi statuta
debeat accedere, contendunt equidem non obscure il-
li, qui ea non aliter, quam si ab usu & observantia fue-
rint approbata, in vim juris valere & obligare afferunt;
Sed, cum Principes Imperii Superioritate territoriali h.
e. jure summi post Imperatorem Imperii, in omnes ter-
ritorio suo subditos vid. Dn. Carpz. tr. de Leg. Reg. cap. 1.
sect. 12. n. 6. & Dn. Reinking. d. L. 1. cl. 5. cap. 3. n. 3. gau-
deant, quidni quæso & legum ferendarum potestate
cum hoc effectu, ut per se vim subditos suos obligandi
istæ leges habeant, nec ab observantia demum valorem
& autoritatem expectare teneantur? Dices forte, quod
usus & observantia legis sit actus subditorum, adeoque
legis virtus, quæ in usu & observantia consistit, omnino

B

ab

ab illis procedat. Sed Resp. i. Ex hac ratione sequi, ut ipsæ quoque leges & Recessus Imperii, quos Imperator cum consensu Statuum condit, aliter non valeant, quam si subditorum demum usu & observantia fuerint approbati. 2. Quod usus & observantia legis sit quidem actus subditorū, sed à Principe, ceu causa principali agente, cui subditi, ceu causa instrumentalis, moraliter necessario parere tenentur, imperatus, adeoq; nō procedat à subditis qua talib. & vi sua agentibus, sed vi jussionis principalis. Et 3. Quod per usum & observantiam subditorum legis virtus solum explicetur, non verò essentialiter in eo consistat, sed in imperando vetando, permittendo & puniendo l. 7. ff. dell. Nec est, quod instes, allegantem statuti observantiam tenericam probare Dn. Carpz. P. 2. Dec. 101. n. 15. Siquidem nulla est Conseq. Allegans statuti observantiam tenetur eam probare, Ergò statuti vigor dependet demum ab observantia : Nam, quod allegans statuti observantiam teneatur eam probare, causa est iux. Mascard. de probat. concl. 937. quod se imprudenter fundet in facto, non verò in ipsa statuti sanctione, ubi probationis onerere relevaretur. Sed quid hoc ad præsens?

Ex. 4. Quoad fœminas, ut Abbatissam Quetleburgensem, Essensem, Herberdensem & similes dubitare quis posset per ea, quæ habet contra imperium mulierum Bart. in l. 1. ff. dell. in voc. Virorum : Sed & has eadem in districtibus suis gaudere potestate, qua gaudent alii Imperii Status, recepta est Germanicæ consuetudo, vid. Joh. Hermann. Stammius d. loc. n. 7.

TH. IV.

Sed tam de Ecclesiasticis, quam secularibus negotiis jure statuere possint.

Ex. 9.



Ratio est, quia Magistratus est ordinatus à Deo bono subditorum *Rom. 13. vers. 4.* quod non solum in temporali hac mundi felicitate, sed & maximè in æterna illa, quæ post mortem deinum omnibus parata est fidelibus, consistit animæ salute, ad quam utramque subditi à Magistratu, vi citati loci, ea, qua potest fieri, animi sollicitudine sunt promovendi: Quo spectant etiam *Deuter. 17. vers. 18. cum seq. Jos. 1. vers. 8. Et Ps. 2. vers. antep. Et pen.* ubi à Deo expresse Regibus injungitur, ut in præscripto Dei verbo se die ac nocte exerceant: non alia scil. fini, quam ut non solum ipsi, sed & per illos subditi eorum, verum omnigenæ salutis & gloriæ Divinæ tramitem cognoscant & insequantur: quoniam à religione non solum æterna, sed & temporalis dependet felicitas, ut vere dicitur in R. I. zu Augspurg de Anno 1566. §. Wie wohl wir nun auf solches ibi: daran alle zeitliche und ewige Wohlfahrt hanget.

Ex. 2. Nec impedit quoad Ecclesiastica negotia.
I. quod potestas & cura rerum Ecclesiasticarum ad solum Pontificem & Sacerdotes Ecclesiæ, non ad Imperatorem aut alium Principem secularem pertinere dicatur in c. *Bene quidem Et c. Si Imperator Dist. 96. Et c. Non placuit. cum c. seq. c. Siplures. c. Si quis deinceps Et seqq. XVI. q. 7. Et c. Decernimus. x. de judic. adeò, ut si quis Principum vel aliorum laicorum dispositionem seu dominationem rerum sive possessionum Ecclesiasticarum sibi vindicaverit, pro sacrilego sit judicandus per c. si quis Principum d. caus. XVI. q. 7. Quoniam canones illi in propria loquuntur causa sine ullo S. Scripturæ fundamento, adeoque minime sunt attendendi. Neque enim ullibi legimus,*

Ecclesiasticam potestatem à regimine seculari fuisse avulsam, & à DEO solis sacerdotibus commissam; sed sive sacras sive profanas consulamus historias, ubique inventimus, eam non minus, quoad inspectionem & directionem cultus divini ad Politicum pertinuisse Magistratum quam secularem: Et quoad sacras quidem historias evincit hoc manifestè *Exod. cap. 20, 24, 25. & seqq.* usque ad fin. & *Leviticus* fere per tot. exemplo Moysis: *Jos. cap. 3. vers. 6. & seqq. & cap. 24. vers. 14. & seqq.* exemplo Josuæ: Regis Davidis i. *Paralip. 16, 17, 18, 24, 25,* 26, 27, & 2. *Reg. cap. 6. 2. & Eccles. cap. 47. vers. 11.* Salomonis i. *Reg. cap. 2. & Paralip. 17. & seq.* Ezechiæ 2. *Reg. 18. 2. Paralip. 29. & 30. vers. 23. 15.* Asæ i. *Reg. 15. & 2. Paral. 15.* Josaphati 2. *Paral. 29.* & alia quamplurima tam N. quam V. T. loca. Quoad profanas verò non est, quod late divagemur, cum vel soli tituli Codicis nostri de Summ. Trinit. de SS. Eccl. de Episc. & Cler. de Episcop. aud. de hæret. & Manich. & seqq. cum Nov. 6. c. 5. Nov. 123. c. 10. c. 32. Nov. 137. c. 6. Nov. Leonis 15. legibus Constantini, Gratiani, Valentiniani, Theodosii, Martiani, Cari, Anastasii, Arcadii, Honorii, Leonis, maxime Justiniani & aliorum Christianorum Imp. rem faciant luce meridiana clariorem. Ut taceam, ipsum quoque Ernicium Magistratum sacrum hoc jus inde ab initio Urbis Romæ, dictante sic naturali ratione, in quovis Reipubl. statu exercuisse, prout de Numa Pompilio Romuli successore ejusq; nepote Anco Martio, quarto Rege Rom. *Liv. L. 1. decad. 1. & de Imperatoribus nonnulla etiam saevitiæ exempla, in primitivæ Ecclesiæ Christianos edita luculenter testantur conf.* Generos. Dn. Conrad. von Ein-

Eins



Einsiedel tr. de Regalib. c. i. n. 4. Quibus sane Principes nostri Christiani deterioris non possunt nec debent esse conditionis. Nec juvant causam Pontificis II. rationes Bellarmini L. 1. de Pontif. Rom. cap. 7. & L. 3. de Laicis. cap. 17. & asseclarum ipsius imprimis vero Stapletoni Repet. schol. cont. 2. q. 5. art. 1. quod scil. Magistratus secularis sit de numero ovium, non pastorum arg. cap. ult. Joh. vers. 15, 16. & 17. oves verò nullam habeant Jurisdictionem in gregem : quodque Principes, qui nec verbum prædicant, nec sensus habent in scripturis exercitatos (cum solis Ecclesiæ ministris Spiritum veritatis Christus promiserit) de verbo DEI judicare non possint : Veluti ipse etiam Lutherus id videtur approbare Tom. 2. contr. art. Lovan. inquiens : Non est Regum aut Principum veram doctrinam confirmare, sed ei subjici & servire. Nam Respond. distingvendum esse inter curam & potestatem Ecclesiasticam internam, quæ circa interiora religionis & cultus divini, qualia sunt concionari, ligare & solvere, sacramenta administrare &c. est occupata, & à nonnullis non malè Sacerdotium appellatur : & externam, quæ circa res & personas Ecclesiasticas extra templum civiliter exercetur & à Lipsio Inspectio in sacra vocatur. vid. Dn. Carpz. Comm. in Leg. Reg. cap. 2. sect. 2. n. 12. & 13. Cunrad. von Einsiedel d. c. i. n. 47. & Daniel Otto in Dissert. de jur. publ. cap. 24. p. m. 705. Siquidem quoad illam concedimus, Principes seculares esse in numero ovium, & hactenus à sacerdotibus suis confessionariis, quatenus hi veri pastoris munus peragunt, exemplo Davidis & Josaphati, quorum ille Nathaniel Reg. 12. hic verò Prophetæ Jehu objurgatione placi

B 3 d.

de auditâ 2. Par. 19. se correxit, rectè ligari & secundum
verba Lutheri veræ doctrinæ subjectos esse, nec nisi cum
Saule & Usia sacrilegium incurtere velint 1. Reg. 13. § 2.
Par. 26. partes ministerii Ecclesiastici concionando, sa-
cras scripturas explicando, & Sacra menta administran-
do sibi arrogare debere Georg. Sigismund. Selden. ad
Imp. Ferdinand. I. von Rom. Ratis. Majest. Wahl und
Hoheit. & Dn. Carpz. d. loc. At quoad hanc, quæ pro
interna illa Ecclesiæ cura comparata est, negamus, ut su-
pra, ullibi pios Reges ac Principes Sacerdotio esse sub-
jectos, per ea quæ habet Paræus in tr. de jur. Reg. contra
Pap. q. 5. p. 74. 81. 86. 115. § 129. & qui fusius simile ab o-
vibus desumptum declarat, Arnis. tr. de subject. cleric. cap.
5. à n. 23. usque ad n. 28. ubi Principes seculares haut ali-
ter à suis confessionariis, ac Pontificem ab eo, cui pecca-
ta confitetur, ligari, sed ligamen hoc interim subjectio-
nem propriè sic dictam minimè operari eleganter de-
ducit.

TH. V.

Iisque tam Criminalibus, quam civilibus.

Ex. 1.

DE criminalibns negotiis & actibus, quorum major
est ratio, extat quidem Constitutio Caroli V. Imp.
qua tam modum contra reos criminum procedendi,
quam puniendi definivit, sed adeò tamen manus Statu-
um Imperii, illâ non ligavit, quin & ipsi pro ratione cir-
cumstantiarum in facinorosos statuere possent, ut poti-
ùs potestate hanc ipsis expressè reservaret in prefat. d.
Const. ibi: Doch wollen wir durch diese gnädige Erinne-
rung/ Churfürsten/ Fürsten und Ständen an ihren al-
ten

ken wohlscher gebrachten/ rechtmässigen und billichen Ge-
bräuchen nichts benommen haben: junct. art. 160. & 164.

Ex. 2. Illud saltem paucis hic monendum est,
quod, cum Principes Imperii pœnas in d. Const. Caro-
lina & alibi jure communi statutas etiam capitales, justis
ex causis non solum licet augere, sed & ex antiqua Ger-
mania & consuetudine, minuere vel etiam planè remit-
tere possint. vid. R. I. zu Speyer de anno 1526. §. Es
sol sich auch. Thom. Michael. de Jurisd. concl. 76. lit. b.
Bidenbach. quest. nobil. 7. vers. Abforderung oder Nach-
lassung der Straffen/ & Reinking. d. tr. L. i. cl. 5. c. 6.
n. 24. non quævis causæ statim pro justis sint habenda,
licet ab aliquo Dd. pro talibus venditentur & consuetu-
dine alicubi approbentur: prout de illa: *Si puella nubilis*
vel etiam meretrix furem aut alium morti destinatum can-
didatum in matrimonium petat: & de illa: Si fur rupto la-
queo vivus de patibulo cadat: nonnulli tradunt teste Limn.
dL.. 4. de Jur. Publ. c. 8. n. 286. & seqq. Nam licet matri-
monium sit causa maximè favorabilis, attamen tanta
videri hautquam debet, ut ob eam pœnæ, nervi tran-
quillitatis publicæ, enerventur & delicta maneant im-
punita: Quemadmodum enim puella illa vel meretrix,
ut verè ait Limn. d. loc. delictum hoc, tale ut non sit, sed
factum laudabile fiat, nequit effectum dare; ita nec pœ-
na, ut remittatur, vel ea in præmium ut convertatur,
causa esse poterit: Et si puellæ hoc, ut maritum nanci-
scatur, tribuimus, quidni quæso & uxori, quam fur ha-
bet, idem juris tribuimus? Neque enim contrahendum
matrimonium ullibi in jure magis est privilegiatum,
quam contractum; sed semper pro favore ejus loquun-
tationes: ne concordans forte solvatur matrimoni-
um;

sum
cum
& z.
o, sa-
ran-
n. ad
und
e pro
nt su-
sub-
ntra
b o-
.cap.
ali-
ccca-
ctio-
r de-
S.
major
Imp.
endi,
catu-
e cir-
poti-
t. d.
nnes-
n al-
ten



um; ne quos Deus conjunxit, homo separet. Monenda igitur potius est puella, si qua sic verecundiæ cultum transcendat, ut ab inhonestâ intercessione defistat, & honestate morum alium sibi querat maritum, quam petito ejus deferendum. Meretrix verò tanto minus est audienda, quod cœu publica quædam cloaca promiscuas excipiat libidines & tanta juvēnum existat pernicies, non sine magno Reipubl. detrimento. At dices: ideo meretricem audiendam esse, ut anima ipsius salvetur, quod hoc modo fieri potest, si per matrimonium hoc à meretricia consuetudine abducatur. Sed Resp. alia prostatre remedia longè salubriora, quam periculosem hoc matrimonium, pœnæ nimirūm, ergasteria, & monasteria, quibus, si coérceantur meretrices, multo certius ad meliorem possunt reduci frugem & anima earum salvati. Sciens voco matrimonium hoc *periculosum*: Verendum enim (1.) omnino est, ne quam ante matrimonium meretricem, in matrimonio adulteram habeamus, & eum, quem, antequam maritus, collo restim, nunc capite cornua gerere videamus: Neque enim credibile est, ut meretrix mores, quos antea in habitum convertit, facile deponat nupta, cum facilis quidem sit, ut cum Poëtâ loquar, descensus averni; sed revocare gradum superasque evadere ad auras multum laboris requirat. Verendum inquam (2.), ne, si egregio hoc meretricum privilegio scelerati possint à pœnis liberari judicia inverecunda hac postulatione à meretricibus vel proprio motu, vel ad instinctum complicum, ne communem hi videantur deserere causam & socium, pro reo suscepitâ reddantur elusoria, atque sic publica imminguatur securitas. Quinimò verendum est (3.) ne, si har-

pax



pax iste privilegiatus, qui modo ex fure factus erat maritus, pro more assveto rursus picatas exerceat manus, & ad magistratum delatus, non attenta ulteriore uxoris intercessione, ad patibulum trahatur, mulier deinde, licet in matrimonio honestè vixerit, marito orbata ad vagam primarum sicut canis ad vomitum, redeat libidinum consuetudinem, & animam, quam prima intercesione ad salutem deduximus, altera repulsa ad perniciem reducamus. Consentit nobiscum Paris de Puteo
tr. de Synd. verb. Pœna. vers. an si judeæ n. 2. sub fin. Soarez. in thesaur. recept. sent. verb. meretricis n. 133. Tiraquell. de pœn. temper. & remittend. caus. 56. n. 1. & seqq. per tot. Gomez. tom. 3. variar. resol. de delict. c. 13. n. 37. Clar. L. 5. sent. §. ult. q. 98. n. 6. & novissime Limnæus d. loc. Dissentit verò Schneidevv. ad pr. J. de O. quæ ex Dd. n. 2. Harpprecht. in §. 5. J. eod. n. 71. & seqq. Coler. decis. 238. n. 3. & Berlich. P. 4. Concl. mibi 45. n. 35. cui eorum placet sententia, qui hoc arbitrio judicis relinquunt.

Exq. 3. Quod verò alteram concernit causam, pro èa quidem multæ solent afferri rationes, I. quod dubia sit hæc quæstio nec jure civili decisa, adeoque benignior veniat accipienda interpretatio juxta l. 56. & l. 192. §. 1. de R. J. junct. l. 5. pr. ff. de pœn. II. quod ruptura laquei, si non probationem, tamen præsumptionem faciat non exigui momenti pro innocentia rei, quod divino miraculo videatur liberatus, adeoque pro defensione ejus sit admittend aper l. 18. §. 9. ff. de quæst. III. quod si delapsus denuo suspenderetur, pœna excederet sententiam, quæ reum semel tantum vult suspendi ; adeoque inique cum eo procederetur. IV. Quod funis collo circumductus accedente metu strangulationis, cui plus

C dolo.



dolorum ineſt, quam ipſi strangulationi, reo omnem
ſenſum auferat, ita, ut nullum amplius corporis crucia-
tum ſentire poſſit, adeoque pro verè strangulato haben-
dus ſit. Et V. Quod poena cæpta æſtimanda ſit pro com-
pleta, Dn. Gerhard. Exerc. *Justin.* decad. 17. circa fin. Ve-
rum, quantulacunque hæc alicui videri poſſint, noſ ta-
men non movebunt I. propterea: Quod poena neceſſa-
rio ſit luenda, ut tollatur obligatio ex delicto, juxta l. 51.
ff. ad L. Aq. in verb. cum neque impunita maleficia eſſe oport-
eat: Quod hoc modo non fieret, ſi fur patibulo incolu-
mis delapsus morte liberaretur. II. Quod ſententiæ o-
mnimodo ſit ſatisfaciendum juxta d. *Sanctionis Crimin.*
art. 192. daß der Dieb an dem Galgen / mit dem Stran-
ge oder Ketten vom Leben zum Tode ſolle gerichtet wer-
den. Et III. Quod ruptura laquei ſit admodum obſcurum
imò nullum innocentiae argumentum; cum niſi vel do-
lus aut culpa carnificis, vel infirmitas funiculi, vel grave
corporis pondus, quæ & ipſa poſſunt eſſe cauſa rupturæ,
manifestò appareat, illa eadem facilitate, qua miraculo
divino, poſſit adſcribi vel casui fortuito, vel arti cuidam
magicæ aut machinationi diaboli, cujuſ non parum in-
tereft, ut malitia hominum floreat & emendatio ejus
impediatur: adeoque non poſſit efficere, ut ſententia
ut pote juxta l. ult. C. de probat. vel ex præcedente ſuffici-
ente testium depositione, vel apertissimis documentis,
vel indiciis ad probationem indubitatis & luce clariori-
bus illata à judice debeat ſuspendi & retractari. Et Resp.
ad I. dubitandi rat. negando dubiam hic ſubeffe quæſtio-
nem & jure non decisam: ſiquidem jam de nocentia rei
ſatis & luce clariūs conſtituit, ac propterea per ſententi-
am, quæ & ipſa contra eum, quem tangit, vigorem legis
habet,

habet, à judice decisum est, furem debere ita in patibulo strangulari, ut moriatur. Ad secundam Resp. eam per tertiam nostram decidendi rationem satis refelli. Ad 3. itidem negando pœnam hic excedere sententiam & plura suspendia pro uno perfici: Unum enim erit suspedium cum effectu scil. illo, quem prædicta ingerit usitata sententiæ formula: quemadmodum & pro uno actu habemus iustum multitudinem, qua qui capite est damnatus, quandoque perit. Ad 4. In pœnarum inflictione non tam ad dolores & cruciatūs, præsertim verò illos, quos sibi reus ipse mortis propter horrorem procurat, esse respiciendum, quam ad exemplum, ut pœnæ similitudine deterreantur alii à delictis: Quod posterius vix obtinebitur, nisi effectum sortiatur sententia. Et denique ad 5. Quod sententia, cui executio ex asse debet esse conveniens, non cœptam tantum, sed & perfectam requirat pœnam, mortem scil. veram, non imaginariam, aut timorem mortis. Et ita sentit nobiscum Muscorn. tr. de Jurisd. n. 93. Cagnol. in l. favorabiliores ff. de R. f. n. 11. Jul. Clar. d. loc. n. 9. Harpprecht. d. loc. n. 65. & novissime Dn. Hahn. in obs. ad Wesenb. parat. tit. de pœn. n. 9. Dissentit verò Bachov. ibid. cum Luca de Penna in l. 1. C. de desert. & occult. col. 9. quem sequitur Paris de Puteo d. loc. Item Gomez. d. loc. circamed. Item Virgil. Pingiz. Q. 7. pcr tot. & alii à Berlich. d. Concl. 45. num. 38. longa serie relati.

TH. VI.

Ettam contra, quam præter jus commune.

Exq. I.

Posse præter jus Commune h. c. super casibus jure Communis non decisis, Principes Imperii juxta terri-

C 2 to-

teriorum suorum conditionem statuere & quod juri
Communi deest, supplere argumento est indubitato R.
*J. de Anno 1530. sub tit. von reisigen Knechten und Diensts-
boten §. Es sol auch ibi: nach eines iedes Landes Gele-
genheit: & docet experientia, ex qua aliquot exempla
recenset Dn. Joh. Herman. Stamm. d. tr. L. 3. c. 8. n. 10.*

*Exq. 2. Quod vero & contra jus commune, con-
cludunt. Dd. communiter: Ita namque tradit Zasius ad
l. Hoc Edictum ff. Quod quisque jur. in alt. stat. n. 21. & 22.
Dauth. de testam. n. 36. & 86. Knichen de jur. territ. c. 1. n.
179. & c. 2. n. 363. Meichsner. Tom. 2. L. 1. decis. 8. n. 47.
Pruckman. Conf. 13. n. 82. Schneidevv. in §. 1. I. dej. n. g.
& c. n. 17. Bruning. de var. univers. specieb. Concl. 51. Ro-
land. à Valle Vol. 1. Conf. 29. n. 26. Alexand. Vol. 5. Conf. 1.
col. 7. Socin. Vol. 3. Conf. 66. col. 6. Castren. Vol. 2. Conf. 34.
n. 3. Limn. d. L. 4. c. 8. n. 253. Gail. de P. P. c. 6. n. 11. & de
Arrest. Imp. c. 9. n. 1. & Joh. Herm. Stam. d. loc. n. 14. ubi
etiam exemplis hoc declarat. Quos sequimur non qui-
dem ob rationem, qua moverut Zas. d. loc. n. 23. quod
scil. pacto privatorum jus civile tolli possit, ergo etiam
statuto arg. l. fin. & ibi Br. C. de fidejuss. Gl. in rubr. C. de
Decurion. X. Dec. in l. Nec ex Prætorio ff. de R. J. (Etenim
bene ipsi respondet sæpè laudatus Stam. cit. loc. n. 15. di-
versam esse rationem pacti & statuti: Siquidem statu-
tum, quod quis Principum contra legem Imperialem
in territorio suo introducit, contra jus superioris dire-
ctò tendit, non vero pactum, quippe quo pacifcentes in
sui saltem præjudicium abdicant à se, quæ in ipsorum fa-
vorem sunt introducta, id quod merito posse debent l.
fin. C. de pact. Ergo jam, quod juris est in pacto, id in
statuto in præsentí passu esse non potest, arg. eorum, quæ
á pa-*

à pacto ad legem habet Everhard. in Top. n. 7. seqq. & Cagnol. ad l. jura sanguinis 8. ff. de R. J. n. 6. & 7. ubi data rationis diversitate docet, argumentum à pacto ad statutum claudicare, & sapientius per pactum fieri posse, quod per statutum nequit, ceu in notabili & casui nostro optime conveniente pacti de non appellando exemplo palam est. Etsi enim pacto, ne vixtus appelle, induci possit l. fin. C. de temp. appell. & renunciatio appellationis in certa lite valeat, ut in casu l. i. s. 3. ff. à quib. appell. non lic. tamen, ne ad superiorem appelletur, statuto aliquo induci nequit c. venientes ibique Dd. x. de jurej. eo, quod appellatio tam in recognitionem superioritatis, quam in litigantium favorem sit introducta Br. in l. 9. de J. & J. in 3. quæst. princip. Knichen. d. tr. c. 3. n. 7. & Mascard. de prob. concl. 947. n. 13. & seq.) Sed quod eo ipso, quo Imperator Principibus, Comitibus & aliis Imperii Statibus territoria cum omnibus juribus & pertinentiis, ut suprath. 3. Exq. 1. dictum, concessit, tacite & per consequentiam, hoc quoque concessisse intelligatur, ut in territoriis illis, pro ratione loci & temporis, re ita exigente, etiam contra leges universales conditioni territorii & subditorum minus congruentes, statuere & ordinare possint, ut benè animadvertisit Joh. Hermann. Stam. d. loc. n. 16.

Exq. 3. Quin & statuta juri communi conformia non inutiliter condunt Principes & alii Status Imperii: Profundunt enim 1. in eo, quod præter declarationem juri Communi vim majorem & actori electionem tribuant, utrum potius ex jure communi, an verò ex statuto agere vel excipere velit, Zas. ad l. si stipulatio 18. de V. O. n. 10. seq. Sebast. Medic. de LL. & statut. P. 3. Q. 8. n. 6. & seq.

C 3 2. in

2. in eo, quod argumento sint, statuentes gerere curam
subditorum : Ut enim innotesceret, Prætores pro repre-
menda improbitate esse sollicitos , etiam Edictum in
nautas, caupones & stabularios (ut recepta restituerent)
& in alios alia necessaria, quo pro actoribus eo plura re-
media essent comparata , proposuerunt l. 3. §. 1. naut.
caup. stabul. ibique Zaf. nota, inquiens, argumentum,
quod laudabile est, contra grassantes subditos novis sta-
tutis etiam non necessariis provideri. 3. in eo, quod,
quandocunque concurrit jus commune & statutum ,
tunc sublato jure communii statutum, nisi de eo expres-
sa fuerit facta mentio , non 'censeatur' esse sublatum &
vice versa, per text. in c. 1. de Const. in b. & alia notata ab
Imola ad l. 1. ff. Ad L. Falcid. à n. 3. usque ad n. 6. Et 4. in
eo, quod à subditis magis adverti & plus timeri soleat,
quod specialiter injungitur, quam quod generaliter im-
peratur, c. si adversus x. de heret. l. 15. §. 26. de injur. quod
duplici vinculo continetur , quam quod uno §. 2. I. de
adopt. Atque his ipsis de causis etiam in legibus nostris
insolitum non est, ut casus jam ante illis decisi denuò de-
cisi reperiantur , ut in l. infantis 3. C. Qui admitti in B. P.
poss. junct. l. 2. §. sed si infant 13. ff. ad Sct. Tertull. Et u-
na eademque lex de verbo ad verbum sub diversis titulis
posita reperiatur, ut l. diem functo 4. ff. de off. Ad seff. quæ
est eadem in l. 19. §. fin. ff. Loc. cond. & l. 11. ff. de distract.
pign. quæ repetitur in cod. tit. in fine. Item l. 10. C. de pact.
quæ verbotenus est l. 1. in tit. C. de pact. convent.

TH. VII.

Dummodo non præjudicent (I.) legibus Di-
vinis Moralibus.

EN9. 1.

Ex. I.

Quippe quæ æternam divinæ iustitiae & voluntatis regulam omnibus præscriptam continent ac proinde à nullo hominum possunt immutari : Quam possibile enim est, ut minister vel servus sit supra suum dominum *Matth. 10. vers. 24. Luc. 6. vers. 39. & Job. 13. vers. 16.* tam possibile etiam est, ut minister vel servus aliter, quam Domino placuerit, disponat. Jam verò Princeps vel Magistratus est minister DEI *Rom. 13. vers. 4.* & tenetur DEO reddere rationem administrationis suæ *Sap. 6. vers. 4. & 5.* Qui ergo possit, quæso, aliter statuere, quam ipse Deus noster Rex regum & Dominus dominantium præcepit ?

Ex. 2. Et ita quidem se omnino res habet quoad leges divinas morales : Aliud verò dicendum est de Ceremonialibus & forensibus qua talibus : Nam de illis non male ista tenetur Scholasticorum regula : Leges Ceremoniales ante Christum erant vivæ, cum Christo mortuæ, & post Christum mortiferæ : D. Balthas. Meissner. *de Reg. Ecclesiast. Concl. 99.* Continebant enim solum doctrinam de ceremoniis (h. e. de externis actibus seu ritibus circa cultum divinum) majori ex parte typicis, quæ per adventum Christi, in quo veritas adumbrata exhibita, quoad usum & observationem (non quoad significationem & lectionem : quia, ut monet Conrad, Dieter. *in Inst. Catechet. loc. de Decalogo sive Lege*, multa nos de Christo utiliter possunt erudire) penitus sunt sublatæ, adeò, ut, si qui hodieque eas observari velint, Christum venisse negent. Theodor. Reinking. *d. tr. L. 2. Cl. 2. cap. 2. n. 11.* His verò scil. forensibus solutos esse Principes Christianos adeoque & diversum ab illis in distinctionibus suis statuere posse, evincit illud, quod non ita,
ut

ut morales, omnibus hominibus, sed populo Judaico
solum, quem Deus peculiariter in fidem & clientelam
suam suscepserat, ut appareat ex Esa. cap. 33. vers. 22. & Si-
racid. 17. vers. 14. ad fundandam ejus Politiam & erigen-
dum sceptrum Judæ fuerint latæ; Quod cum jam ipso
gloriissimo Messiae adventu sublatum sit juxta Prophe-
tiam Patriarchæ Gen. 49. v. 10. & ad Romanos armis &
jure belli translatum Tacit. L. 21. annal. dubium non est,
quin & ipsæ simul sublatæ sint, nec aliter obligent Chri-
stianos, quam si in Republica eorum ab illo, penes quem
est nō Kūciov, fuerint approbatæ Alexand. L. 7. Conf. 13. n.
19. & Imolain l. 3. ff. de testam. col. ult. quos refert & se-
quitur Menoch. 2. Arbitr. cas. 290. n. 10. Ut jam taceam
ipsum Christum aliquot earum expressè damnasse:
Quod enim scriptum est in Lege Mosaica, de jure talio-
nis Deut. 19. & Exod. 21. damnatur Matth. 5. & quod de
libello repudii sancitum Deut. 24. id Christus reprobat
& abrogat apud Matth. d. cap. 5. & 19. Marc. 10. & Luc. 16.

En. 3. Dixi autem notanter leges forenses qua ta-
les non stringere Principes Christianos: Nam quatenus
illæ aliquam in se habent moralitatem h. e. quatenus
præcipiunt ea, quæ in se & sua natura sunt honestæ, &
prohibent ea, quæ in se & sua natura sunt turpia, tum
concedimus, alterationi Principum circa eas ulterius
non esse locum, quam quatenus mens præcipientis vel
prohibentis DEI non offenditur. V. G. Ut ad evitandas
fraudes amplior fides pro qualitate causæ, veluti in te-
stamentis & similibus contra dictum juris divini: In ore
duorum vel trium consistet omne verum: Deut. 17. vers.
6. & c. 19. vers. 15. Num. 35. vers. 30. Matth. 18. vers. 16. Job.
8. vers. 17. & passim, requiratur: Item ut homicidia, fur-
ta,

ta, scortationes & alia delicta hac aut illa poena vindicentur, hoc aut illo modo in judiciis procedatur, id non morale, sed forense est, adeoque Magistratus arbitrio relatum, ut pro Reipubl. conditione ac causae delictive qualitate modo remissius, modo gravius in delinquentes statuat. At ut in delictum aliquod Lege DEI morali capitale, e. g. homicidium dolosum Gen. 9. vers. 6. cum Casimiro M. Poloniæ Rege L. i. Statut. Polon. cap. 15. art. 6. Petr. Royzius in Epist. dedic. decisionibus suis prefixâ, poena carceris animadvertat, aut in gradibus Lev. 18. dispensari prohibitis dispenset, Alber. Gentil. 5. de Nupt. cap. 10. aut cum Eveno Scotiæ Rege Præfectis suis sponsarum virginitatem delibandi copiam faciat, Matth. Bortius apud Arum. Disp. 8. tb. 17. aut aliud quid sua lege inducat, quod peccati sit nutritivum, scandalosum & inhonestum, illud sanè absque offensione Supremi illius Legislatoris fieri nequaquam potest.

TH. VIII. Aut (II.) Naturalibus.

Ex. 9. 1.

Ita scilicet, ut penitus tollantur. Etenim jus civile vel potius is, penes quem est illius constitutio, addere quidem juri naturali, vel per modum determinationis detrahere in aliquo potest, atque sic illud declarare & ad præsentem Reipubl. suæ statum adaptare; at in totum tamen ab eo cum Cambyse Persarum Rege & Caracalla Rom. Imp. (quorum ille sororem suam germanam; hic verò novercam in uxorem duxit, quasi quod vellent, hoc regibus licet, conf. Gothofred. in not. ad l. pen. C. de incest. & inut. nupt.) recedere nequit, juxta l. 6. ff. de J. & J.

D Et

Et ita accipe §. pen. f. de f. N. G. & C. cum §. ult. l. de legit.
agn. tut.

Ex 9. 2. Ratio verò ob quam jus Civile à jure Naturali in totum recedere nequeat, est, quod Divina quādam Providentia sit constitutum d. §. pen. & nihil aliud, quam dictamen rectæ rationis cuilibet homini indicans quid honestum vel turpe adeoque agendum vel omitendum sit, Grot. de f. B. & P. L. 1. cap. 1. in hoc saltēm à lege morali differens, quod à DEO statim in ipsa creatione hominis per inspirationem animæ rationalis fuerit inditum, arg. cap. 2. Gen. §. 7. junct. cap. 1. vers. 26. illa verò per expressam sanctionem in Decalogo populo Judaico factam jus cetera cum lege naturali unum & idem.

THES. IX.

Aut (III.) Imperialibus cum clausula deregatoria munitis.

Ex 9. 1.

Quippe quæ, quod imperant vel prohibent, simpliciter volunt observari, & statutum vel consuetudinem sibi contrariam expressè annullant. Ut (1.) *Constit. Criminalis Caroli V. Imp. art. 218.* ubi annullatur consuetudo, qua juris est, ut res furtiva aut per vim ablata, apprehenso fure vel raptore, domino suo non restituatur, sed fisco applicetur add. *art. 207.* Item ut facto naufragio bona, quæ erant in navi, cadant in commissum, & ad dominum fluminis pertineant: Item ut aurigæ, si plaustrum forte fortuna everso hominem occiderit, equi, plaustrum &, quæ vehit, bona confiscentur: Item ut carceres non tam custodiendorum, quam excruiciandorum hominum

num causa fiant : Item ut honestæ personæ absque prævia
legitima cognitione ex inconsulto judicum calore incar-
cerentur : Item ut sententia damnatorum non per judi-
cem, sed lictorem vel carnificem publicetur : Item ut bo-
na damnatorum ob delicta, quæ cum confiscatione bo-
norum non sunt punienda, in ærarium redigantur. (2.)
*R. I. de anno 1529. sub tit. Kaiserl. Constitution, wie Brü-
der- oder Schwestern-Kinder/ ubi annullatur consuetu-
do introducta; ne duorum fratum liberi patruo suo in-
capita succedant.* (3.) *Ord. Polit. de anno 1577. tit. 38. ubi
annullatur consuetudo: Ne molitorum, opilionum, tex-
torum, chirurgorum, balneatorum, tibicinum liberi
quasi infames aut levi macula notati in honestas tribus
recipientur.* (4.) *R. I. de anno 1594. §. Und als auch.
ubi damnantur pacta mercatorum & opificum, quibus
inter se vel certum pretium; vel, ut reliqui mercem sup-
primant, donec ceteri vendiderint; vel, ne alias operas
suas vilius locet; vel ne alias ad opificium admittatur,
quem opificis filius, nepos aut gener; vel ne opificum quis
opus, quod alias cœpit, perficiat, constituunt, &c. Conf.
hanc in rem Gail. 2. Obs. 4. n. 4. eleganter Sichard. in l. si
non speciali g. C. de testam. n. 10. Zaf. in l. princeps ff. dell. n.
17. Frideric. Martini in interpret. Carol. Const. pen. tracta-
tui de jure censuum annexa n. ult. Anton. Gabriel comm.
concl. L. 6. tit. de clausulis concl. 3. num. 57. cum seqq. Natta
Tom. 2. conf. 302. n. 7. & 8. & Dn. Brunnenman. ad l. in-
cum 18. & Avth. Navigia C. de furt. qui omnes tradunt, sta-
tuta ab inferioribus contra leges Cæsareas clausulam de-
rogatoriam habentes facta tanquam irrationalia &
clandestina nullius esse valoris.]*

Ex. 2. Id quod de statutis & consuetudinibus Sta-

D 2 tuum

tuum Imperii in genere tam futuris quam præsentibus
indubie verum est : Nam quod illis Imperator ex pleni-
tudine potestatis lege sua Imperiali obvflare & derogare
possit patet ex d. R. I. de anno 1521. sub tit. **Kayserliche Con-**
stitution : Wie Brüder- oder Schwester-Kinder : ibi:
Wollen wir hiermit aus unser Kayserlicher Macht/
Vollkommenheit und Rechten wissen alle und iede
Statuta, Sazungen/ Gewohnheiten/ Gebräuche / al-
tes Herkommen und Freyheiten/ wo die an einigen
Orth dieser unser Kayserlichen Sazung zu wider er-
funden/ cassiret und abgethan haben : Et d. Const. Crim.
art. 218. in verb. Die und der gleichen Gewohnheit wol-
len Wir/ daß eine iede Obrigkeit abschaffen/ und dar-
an seyn sol/ daß sie hinsürter nicht geübet/ gebrauchet
oder gehalten : Als Wir dann aus Kayserl. Macht/
die selben hiermit aufheben/ vernichtigen und abthun/
und hinsürter nicht eingeführet werden sollen : & aliis.
At secus se res habet cum Jure Saxonico : Nam ne illi præ-
judicetur, solet protestando cavere Serenissimus Elector
Saxoniæ, quoties in Comitiis Imperii novæ feruntur le-
ges ei derogantes, teste Dn. Hieronym. Treutl. Vol. 1. D.
1. th. ult. lit. a. Dn. Schulz. in *Synops. Jur. de J. N. G. & C.*
Dn. Petr. Heig. P. 1. Q. 4. Dn. Arum. ad A. B. Disc. 3. tb. 44.
& Disc. 18. tb. 66. Dn. Coler. P. 1. Dec. 48. n. 9. Dn. Berlich.
P. 3. Concl. 24. n. 17. & Magnif. Dn. Richtero Dec. 4. n. 38.
ubi tradit, quod cum A. 1521. Carolus V. in Comitiis No-
ribergicis Constitutionem edidisset, ut fratrum filii ad
successionem patrui cum defuncti fratribus vel sorori-
bus, non obstante ulla consuetudine, in stirpem admit-
terentur, Elector cum ceteris Ducibus Saxoniæ non so-
lum contra eam, utpote Juri Saxonico contrariam pro-
testa-

testatus sit, sed & dispositionem Juris Saxonici, qua fratre
trum filii, extantibus defuncti fratribus vel sororibus, à
successione patrui penitus excluduntur, per Novell. Const.
18. P. 3. §. Wir wollen aber mit diesen unsern Gesetze
ult. denuò confirmaverit.

THES. X.

Aut denique (IV.) Ipsi Cæsareæ Majestati.

Ex 9.

IN iis scil. quæ in signum præminentiaæ ei soli non vero
Ialiis, nisi ex speciali ipsius concessione, aut immemo-
riali præscriptione competunt. Qualia sunt jus creandi
Notarios, Poëtas Laureatos, Magistros, Doctores, Comi-
tes Palatinos, Nobiles, Barones, Comites, Burggravios,
Landgravios, Marchiones, Duces, Electores, Reges. Dan.
Otto in *Dissert. jur. publ. cap. II.* Jus confirmandi Acade-
mias & privilegia ipsis tribuendi *Ord. Cam. P. 1.c.3. §. Des-*
gleichen Sixtin. de Regal. c. 2.n. 21. Arnis. de Jur. Majest. L.
2. c. 6.n. 14. Jus condendæ civitatis, Arnold. Clapmar. de
arcan. Rerum publ. L. 1. c. 21. Thom. Michael. de Jurisdict.
Concl. 12. Matth. Steph. de Jurisd. L. 2. c. 1. membr. 2. n. 14.
Klock. de contrib. cap. 5. n. 1. & novissime Dn. Hermann.
Hermes. in fascic. jur. publ. cap. 11. n. 101. Jus nundinas so-
lennes, German. Messen/ instituendi Dn. Georg. Adam.
Struv. Syntag. Jur. Feud. cap. 6. aph. 14. & latè Limn. in ad-
dit. ad L. 4. cap. 8. n. 31. Et similia, de quibus consu-
lendi sunt Publicistæ.

PARERGA.
Exjure publico.

I.

Erant, qui statuunt, Capitulationem Cæsaream detrahere summo Imperatoris Imperio, eò, quod per Capitulationem illam solum caveatur, ut Imperator quædam non possit solus, seu, ut quædam communicet Statibus Imperii. Jam verò communicatio nihil adimit communicanti, sed id solum operatur, ut uterque tamen communicans, quam is, cui communicatur, communicatum possideant in solidum pro partibus indivisis. Quod vel jus sociorum & hereditatem in commune possidentium reddit manifestum.

II.

Pacificationem Religiosam Carolo V. vi ferroq; fuisse extortam, scribere quidem non verentur plurimi Pontificii, sed figmentum est satis impudens: Etenim vis & metus non præsumitur, sed atrocitate facti demonstrari debet *l. 9. C. de his, quæ vi met.* At quæ in hoc Pacificationis tractatu facti atrocitas intervenerit, nulla sane suppeditat historia; Bene verò hoc, quod tum temporis omne bellum fuerit sopitum & Carolus Imp. ubique fere de subacta Germania triumphare videretur, teste Thuano *L. 4. & Paulo Jovio Histor. L. 45. infin.* Ac, licet Mauritius Elector Sax. pro libertate religionis, proque liberando Socero, Cæsari aperto Marte bellum intulerit, Thuano *L. 2.* nulla tamen hæc vis fuit contra tam potentem Principem, qui omnibus Europæ Principibus nominis sui terrorem incusserat, nec viribus & viris omnibus denudatus, nec captivus detentus, sed liber statu & mente persistiterat.

III. Ali-



III.

Alium, quam Germanum, in Regem Rom. non esse eligendum, bene quidem defenditur ex consuetudine; At ex A. B. tit. 2. hoc probari posse negamus.

Ex jure privato.

I.

Filius fam. non potest valide renunciare SCto Macedonio, quia non tam ipsius quam parentis favore l. 3. §. 3. ff. de SCto Maced. & odio fæneratorum l. 1. pr. eod. & l. 40. pr. de condic. indeb. propter utilitatem publicam est inductum: Bene verò mulier SCto Vellejano, per l. ult. §. pen. ff. ad SCt. Vellej. utpote pro se introducto l. 2. §. 1. eod. etiam extrajudicialiter & non jurato arg. d. l. ult. §. pen. dummodo de beneficio hoc edocta fuerit, quia jus ignorare fœminis quandantenus permisum l. 9. pr. de J. & F. ignor. Alias nec jurata videtur valere renunciatio, cum juramentum debeat fieri cum judicio juxt. c. 26. de jurej. & ad ignorata non trahatur.

II.

De sequestre quærunt Dd. utrum is possideat, an verò solum detineat? Nos dicimus, eum regulariter saltem detinere, ex hac ratione, quod sequestrum sit species depositi per l. 6. depos. & l. 11o. de V. S. Nullum autem depositum transferat vi sua possessionem in depositarium, tum, quia modus transferendæ possessionis non est, tum, quod depositum fiat custodiæ solummodo causa, l. 1. & 6. depos. At custodia & possessio sunt separata, per l. 3. §. ult. & l. 39. de acq. vel am. p. Tum verò demum possidere, si hoc à deponentibus expresse fuerit actum, ut res apud

AK
TK
1952

apud sequestrem omittendæ possessionis causa depone-
retur, per d. l. 39. Dissentit Bachov. ad Treutl. II. D. 21. tb.
4. lit. F. per l. 17. §. 1. depos. Cujus sensum huc putamus
redire: Possessio rei depositæ nunquam transit ad deposi-
tarium, sed ad sequestrem potest transire, eo videlicet ca-
su, quo deponentes id specialiter agunt, ut possessio me-
dio tempore neutri parti procedat.

III.

Eum, qui à parentibus procreatus est, qui sponsalia
quidem iniverunt, sed propter mortem forte alterutri-
us, sponsi scil. vel sponsæ, solenni copulatione ac benedi-
ctione sacerdotali nuptias non celebrarunt, non censemus esse illegitimum, ac proinde parentibus suis tam in
rebus feudalibus quam allodialib⁹ bene succedere posse:
tum quod solennitas ista non pertineat ad ipsam matri-
monii essentiam, tum, quod ipse Pontifex non solum eū,
qui post spōsalia de præsenti, sed & illū, qui post sponsalia
de futuro (quippe quæ subsecuta copula carnali transeunt
in matrimonium cap. 30. de sponsal.) natus est, pro le-
gitimo patris herede agnoscat cap. 12.

Qui filii sunt legit.

F I N I S.

WLC
bon

B. Ruth 150.

4.39,5. DISC

ANE
PRINC
RONES E
TUS IN

MAGI

Ir

VIRI PRÆ


DN. JC
JCTI ET
CONSILIAR
CULT.

DN. PATR

I
Summos

GEOE

An et quales
rubri



ALIS
GENUS
ES, BA-
ERII STA-
TUTA



DIXIS
ensi

I, CONSUL-
MI

chmann/
GERATISSIMI,
INCIALIS, FA-
IS ASSES-

OBSERVANTIA

IA
ia Doctoralia

z.

zylīs

vâ Lufatus.

et alii proponi sta-
dere posint. Vol.
XXXI. 87.